DE
SATIRAE ROMANAE NOVAE
NATURA ET FORMA.

COMMENTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSECUTUS

SCRIPSIT

J. P. J. SCHNITZLER

DOCTOR PHILOSOPHIAE.

ROSTOCHII.

TYPIS EXPRESSIT CAROLUS BOLDT.

MDCCCLXX.

Viro illustrissimo

Josepho Koehler

Doctori Philosophiae, Directori Gymnasii Monasterii Eifliae

Hasce Studiorum Primitias

Pio gratoque Animo

D. D. D.

Auctor.

Ut omnis poesis intimae cognationis vinculo cum ipsa vita humana coniuncta devinctaque est, ita nova Romanorum satira indefesso illi commonendi moresque castigandi et emendandi studio imprimis ortum et incrementum debuit. Quare haud alienum a proposito agere nobis videmur, si quomodo mutata rerum Romanarum conditio versusque status satiram hanc genuerint, omnium primum exponimus. Ne autem nimis verbosi et dicaces videamur in tritissima hac dudumque agnita re explicanda, quae nemini nisi totius antiquitatis ignaro occulta esse potest, obiter tantum eam consideremus!

Simplicibus et incorruptis illis rei publicae Romanae temporibus id unum agebant Romani patriae maiestatis, quam in amplitudine et dignitate rei publicae positam habebant, famaeque integro flagrantes et excitati amore, ut utilitatem publicam omni qualicunque privata utilitate posthabita omnibus in rebus quaererent. Quare voluptatum blandimenta, molestias laborum, otii dulcedinem, egestatem, vitam, mortem etiam pro nihilo habentes, omnia constanter et animose susceperunt pericula et in discrimina se contulerunt, dummodo publicam salutem conservarent et opes imperii augerent. Hinc virtutum sancta et veneranda exempla repetenda, hinc animi excelsi et invicti magnitudo ac robur, hinc indefessa illa domi industria, foris quae vinceretur nescia fortitudo, consilium in providendo, celeritas in conficiendo,

severissima denique et assidua religionis legumque cura, quibus quidem virtutibus cunctas omnium temporum gentes anteibant Romani. „Cari, inquit Cicero (offic. I. 17.), sunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares, sed omnes omnium caritates patria una complexa est; pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus?" atque alio loco (Tusc. I. 37.): „Quoties non modo ductores nostri, sed universi etiam exercitus ad non dubiam mortem concurrerunt? Quae quidem si timeretur, non L. Brutus arcens eum reditu tyrannum, quem ipse expulerat, in proelio concidisset; non cum Latinis decertans pater Decius, cum Etruscis filius, cum Pyrrho nepos, se hostium telis obiecissent; non uno bello pro patria cadentes Scipiones Hispania vidisset, Paullum et Geminum Cannae, Venusia Marcellum, Litana Albinum, Lucania Gracchum." Namque ut ait Ovidius (fast V. 549.):

„. . . . . . debebat in urbe"
„Non aliter nati Mars habitare sui."

et Virgilius (Aen. VI. 824.):

„Vincet amor patriae laudumque immensa cupido."

His igitur duabus virtutibus vere imperatoriis, amore patriae laudumque cupidine prorsus illa quam laudavimus nitebatur vetus res publica Romana. Quum vero nihil sit ab omni parte beatum, felicissimam quoque illam, de qua Ennius dicit apud Ciceronem (de republ. V. 1.):

„Moribus antiquis res stat Romana virisque."

labes corripuit rem publicam, in qua antea boni mores colebantur. Postquam exoptatissimam Romani contigerunt metam, totusque orbis terrarum post Syracusas, urbem pulcherrimam et ornatissimam, Carthaginem denique aemulam et terrorem imperii Romani funditus deletas, atque extinctum totius Graeciae lumen Corinthum, e nutu pendebat Romanorum, tunc nova tabe deformata est ipsa illa rerum domina. Etenim duro bellorum putamine fracto fortuna saevire et omnia miscere coepit, foresque reclusit, per quas patentes omnis generis mala velut agmine facto prorumpentia civitatem inundabant et avitam morum sanctitatem polluebant. Morum

candor evanuit et gliscentibus luxu, ambitione, avaritia atque laxatis legum vinculis, quibus continetur vitae societas, perditissimus quisque et nequissimus exitiabile exercebat imperium et omnia humana et divina iura pervertit, cum ex vitiis praemium, potentia, dignitas, e virtute exilium, pericula, exitium orirentur. Sic pernicies eidem illata est civitati, in qua antea boni mores colebantur. Ipsa superba Roma iam in eo erat, ut, quod exitu probatum est, suis frangeretur viribus et vastitati, fato iubente, iam addicta videretur. Quo altius fastigium, eo funestior erat casus. Quapropter miserrimae principis urbium conditioni ingemens inter alia canit Claudianus (de bello Gild.):

„Ipsa nocet moles; utinam remeare liceret“
„Ad veteres fines et moenia pauperis Anci“

et Cicero (de re publ. V. 1.) dicit haec: „Nostris vitiis, non casu aliquo rem publicam verbo retinemus, reapse vero iam pridem amisimus.“

Haec morum et vitae publicae privataeque depravatio flebilem quidem et miserandam et lugubrem poematum pangendorum peperit causam, sed maximi eandem momenti, probitatis in improbitatem certamen, quod vehementius in dies exardescebat.

Prisca illa omni laude cumulata virtus suis nunquam carebat defensoribus puro flagrantibus amore salutis patriae, cuius praestantissimum fundamentum, morum probitatem, gliscens illa pravitas iamiam subruebat.

Nullam igitur optatiorem nec liberi ingenii viro magis dignam contingendam sibi proponere potuerunt metam omnes, quotquot hanc vitae conditionem oderant et fastidiebant, atque vivido patriae et iacentis virtutis amore compulsi animos implebant nobili indignatione, quam ut omnibus viribus istam foeditatem, qua polluti corruptique erant mores, diluere civesque molles et vitiorum illecebris irretitos ad meliorem frugem revocare conarentur.

Si quis igitur a me quaerat, quaenam sit origo novae huius satirae: emendandi mores et castigandi studio, quod

urgente necessitate provocatum et ortum sit e repugnantia, quae fuerit inter vitae priorum temporum perfectissimae speciem et solitam posterioris aetatis vivendi rationem, satiram ortum debere respondeam. Cuius rei comprobandae causa iam Horatium et Iuvenalem, duos praestantissimos Romanorum satirographos, nobis liceat inducere loquentes:

„Si natura negat, facit indignatio versum,“
„Qualemcunque potest . . . .“ (Iuven. I. 79.)
„Difficile est satiram non scribere. Nam quis iniquae“
„Tam patiens urbis, tam ferreus, ut teneat se? (id. I. 30.)
„. . . . . Id quod“
„Aeque pauperibus prodest, locupletibus aeque,“
„Aeque neglectum pueris senibusque nocebit.“
(Hor. epist. I. 1, 24.)

Quoniam quibus causis satira nova originem deberet, ob oculos posui: nunc, si quis naturam eius et vim interroget, omnium primum loquentem faciam Diomedem (III. 483.): „Satira est carmen apud Romanos, nunc quidem maledicum et ad carpenda hominum vitia archaeae comoediae charactere compositum, quale scripserunt Lucilius et Horatius et Persius. Sed olim carmen, quod ex variis poematibus constabat, satira dicebatur, quale scripserunt Pacuvius et Ennius.“ Quae verba si quis diligenter consideraverit, facile concedat necesse est, Ennianam et Lucilianam satiram inter se differre non carminis quidem genere, sed materia et illius tractandae modo. „Nam spectavit quidem ad doctrinam morum utraque haec satira: sed Lucilius multo magis quam Ennius personis adhaesit, et quia plures semper mali quam boni, in notandis obiurgandisque vitiosis plurimus fuit.“ (Casaubonus: de satyr. etc. p. 214.) Inde apparet, cum Ennius propter differentiam suae satirae ab antiquissima primus eius carminis auctor factus sit, Lucilium propter carpta ab se hominum vitia et veteris Atheniensium comoediae licentiam in poematis ipsius adhibitam non omnino quidem satirae, sed talis satirae inventorem appellatum esse. Horatius enim (sat. I. 10, 64.):

„. . . . . fuerit Lucilius inquam"
„Comis et urbanus, fuerit limatior idem"
„Quam rudis et Graecis intacti carminis auctor."

Idem (sat. II. 1, 62.):

„. . . . . quid, cum est Lucilius ausus"
„Primus in hunc operis componere carmina morem"
„Detrahere et pellem, nitidus qua quisque per ora"
„Cederet, introrsum turpis? . . . ."

Idem (sat. I. 10, 46.):

„Hoc erat experto frustra Varrone Atacino"
„Atque quibusdam aliis, melius quod scribere possem,"
„Inventore minor. . . . ."

Huius novae satirae definitionem seu descriptionem potius — in his enim rebus accurata definitio vix locum habet — si pinguiori Minerva afferre licet, haec fere erit: Satira est illud carminum didacticorum genus, quo metris proprie heroicis — nam Lucilius unus praeter hexametra duplici metrorum genere, iambico et trochaico usus est, de quo plura infra — expresso, imprimis tamquam antesignani usi sunt Lucilius, Horatius, Persius, Iuvenalis poetae, quodque vivis coloribus imaginibusque mores hominum adumbrare et tum virtutem praeceptis commendare, tum errores potissimum ac vitia luculentis exemplis salibusque modo urbanis modo nigris in singulis hominibus aperta risui exponere vult, quo lectores tam delectentur, quam doceantur et emendentur. conf. Heinrich: Pers. sat. p. 54.: „Das Gemeinsame der Satire, das der Gattung Nothwendige, ohne welches diese selbst nicht wäre, ist: Bild des Lebens, der Wirklichkeit, des praktischen Thuns und Treibens der Menschen, der herrschenden Thorheiten, des Sittenverderbens einzelner Ausgezeichneter, die auf das Ganze bedeutend einwirken, der ganzen großen Masse. Gewissermaßen eine reale Poesie oder vielmehr eine Darstellung des Realen durch die Poesie im Gegensatz des Idealen in den höhern Gattungen der Poesie."

Quod in definitione diximus, satiram id agere, ut erroribus et vitiis mederetur, vitiositatis duo genera apparent,

quorum alterum ex simplicitate quadam ingenii ortum, cui stultitiae potius quam pravae voluntatis crimen obiicias, alterum a perversa et depravata plane mente profectum gravius est. Horum autem generum hoc tristius praebet spectaculum, quam ut indignabundis oculis a bonis non spectetur, cum levior illa stultitia nemini bilem commoveat, sed omnibus risum adspectuque suo non contrahat sed remittat frontem. Inde duplex quoque satirae genus constituitur: Alterum severum, incitatum, ardentissimo in vitia odio inflammatum et Lyricis propius, alterum come, remissum, ludibundum et sermoni ac solutae orationi similius. Hoc Lucilium et Horatium gratissimae urbanitatis venere adamatos fecit, illud Persius et Iuvenalis camena gravi atque sublimi excoluerunt. Utrumque propriam habet sedem et suos quibus continetur terminos ita constitutos, ut alteri in alterius possessionem sine culpa temeritatis irruere non liceat. Nam horrida immanitatis species tristior est, quam quae derideatur, et stultitia levior est innocentior, quam ut gravi castigatione affligatur. Haec etsi paucissima et ponderi rerum nullo modo responsura, tamen ad diversa satirae genera iudicanda fortasse sufficiunt. Quae quidem quantum inter se differant, diversa horum quattuor poetarum indoles probat. Hi enim satirici, quamvis sint in multis rebus vicini, in aliis tamen longe discrepant. Nec in apricam convallem Lucilii et Horatii descendunt Persius et Iuvenalis, loci amoenitate allecti, nec illi in editum montium iugum enituntur, in quo hi velut procellae insident. Illos igitur elegantia, nitor levesque commendant risus et sermo, qui philosopho Attico, Sophistarum ineptias impugnanti convenit, urbanus et comis, hos gravitas decet et tristitia ornat, cum quasi ore Catonis severa Stoicorum placita eloquantur. Sed haec hactenus!

Ut eo revertamur, unde aberravit commentatio nostra, quomodo satirae novae naturam et formam clarissimi huius carminum generis scriptores: Lucilius, Horatius, Persius, Iuvenalis — nam ceteri, qui minoris momenti sunt auctores,

omittendi nobis videntur — scriptis suis comprobent, explicare nobis in amino est. Cum vero nullum poesis genus sit, quod magis sit filia temporis quam satira, quae inde depromit argumenta et omnem fere succum atque colorem ducit, in diversis his auctoribus diiudicandis ratio praecipue habenda est, quo saeculo poeta quisque vixerit, et qui mores quaeque studia tum viguerint. Unde sequitur, ut si horum satirographorum aetates perlustraveris, Lucilium irruentium vitiorum semina et initia vidisse, Horatio mores praecipites euntes se obtulisse, vitia omnia edolata et quasi ad fastigium perducta in Persii et Iuvenalis tempora incidisse facile concedas. Quam ob rem nobis semper satiricorum tempora in explicando nostro proposito respicientibus et animis infixa habentibus ita de Lucilio nascetur exordium.

A. Satira Luciliana.

C. Lucilius, eques Romanus, anno 606 a. u. c. Suessae Auruncae, oppido Campaniae, natus erat, quem virum respiciens Iuvenalis (sat. I. 20.) dicit:

„Cur tamen hoc potius libeat decurrere campo,“
„Per quem magnus equos Auruncae flexit alumnus?“

Huius poetae temporis si rationem habemus, utrum ipsius aetas apta fuerit satirae natalibus nec ne, indagare hoc loco convenit. Sunt enim qui contendant, Lucilii aetatem ad hoc poeseos genus provocandum minus idoneam fuisse; quorum e numero ut ûnum virum nominem, A. Lysandri (de Horatio homine et poeta p. 28.) verba affero: „multae res impediebant, quominus Lucilius fieret poeta. Namque vivebat in civitate optime morata et libera, qua nihil minus idoneum ad poetas satiricos creandos et fingendos.“ Talem aevi Luciliani iudicem historia, nostro iudicio ipsa testis temporum, lux veritatis, vitae magistra, omnium primum refutat, si verba „optime morata“ respicimus. Nam cum

virtus illo tempore nondum succubuisset, nec eidem deessent honores, tamen illa quae fuerat religio creandorum magistratuum, legum sanctitas, civium concordia noniam erant. Hostili odio inter se certabant ordines, quod mox in apertam seditionem Gracchis ducibus erupit. Exarsit tunc inter antiquos illos, quibus nitebatur res publica et laude elatos mores et novos istos, qui rem publicam pernicie afficiebant acerrimum certamen, ita ut gravitas cum levitate, simplicitas cum luxuria, probitas cum improbitate, castitas denique cum libidine in aciem iam descenderent. Quae morum corruptela in patriae viscera olim saevitura hoc versuum praesagio notatur a Lucilio ipso (frgt. ex libr. inc.):

„Nunc vero a mane ad noctem festo atque profesto"
„Totus idem pariterque dies, populusque patresque"
„Iactare indu foro se omnes, decedere nusquam"
„Uni se atque eidem studio omnes dedere et arti;"
„Verba dare ut caute possint, pugnare dolose;"
„Blanditia certare, bonum simulare virum se;"
„Insidias facere, ut si hostes sint omnibus omnes."

Quibus expositis ut iam monumenta annalium Lysandri verba „in civitate optime morata" refutant, ita, quod attinet eiusdem viri verba „in civitate libera" quaerere sufficit, quid magis idoneum sit ad poetam satiricum creandum quam civitas libera, in qua dicendi scribendique libertatem nemo est qui prohibeat. Si quid in civitate libera vero satirae ingenio quodammodo repugnare potest, in partium studiis vix evitandis quaerendum est. „Nam, ut vere dicit O. Jahn (prolegg. ad Pers. p. 63.), in liberis civitatibus, ubi quam maxime flagrant partium studia atque certamina, nemo potest esse, siquidem in rei publicae luce viget, quin certae cuidam parti addictus eiusque studio accensus sit, ad cuius rationes omnia referat, cuius inimicos arceat et impugnet; et quia nemo quidquam valet, nisi qui in publico versetur, oritur ea inde sermonis libertas, quae quemcunque quasi publicum, non quasi privatum notat atque perstringit." Quae tamen res, ut equidem censeo, satiram vere Romanam et publicae

saluti consentaneam effecit. Huic opinioni etiam assentiri videtur idem Jahn (l. c. p. 61.): „Tale poeseos genus non potuit excoli nisi in libera republica, ubi nulla virtus valebat praeter publicam, ubi qui corruptos mores ostendebat, rem publicam quantum in se corrumpere censebatur, ubi quisque rem publicam dictis factisve iuvare et defendere primum ultimumque officium censebat, et quodcunque existimavit, libero ore eloquebatur.“ Haec habeo verba, unde satis apparet, nullam Luciliana aetate maiorem vim ad poetam satiricum provocandum habuisse. Sed ut ad poetae opera indaganda procedamus, ea e faucibus temporis rerum edacis eripi non potuerunt. Servata tamen a posteris, imprimis a Cicerone, Gellio, Lactantio sunt fragmenta, e quorum fulgore nonnihil in crassis tenebris surripere conabimur luminis, quo vestigia novae satirae inventoris possimus enucleare. At discerptae illae, lacerae et mutilatae quae exstant reliquiae adeo lumen nobis non praebent, ut formam quidem et scribendi genus satirae Lucilianae quadamtenus cognoscere queamus; sin ex illis ipsum satiricum Lucilii ingenium eiusque carminum materiem dignoscere studeamus, ut Sisyphi saxum sit volvendum.

Unde ergo auxilium petendum? Ab ipsis antiquis scriptoribus, quorum auctoritate omnem nostram hac in re ferendam fulcire debemus sententiam. Horatius sat. I. 4, 1.

„Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poetae,“
„Atque alii, quorum comoedia prisca virorum est,“
„Si quis erat dignus describi, quod malus aut fur,“
„Quod moechus foret, aut sicarius, aut alioqui“
„Famosus, multa cum libertate notabant.“
„Hinc omnis pendet Lucilius, hosque secutus,“
„Mutatis tantum pedibus numerisque facetus,“
„Emunctae naris. . . . .“

Quod Horatius dicit, Lucilium ex comoedia antiqua pendere, illa satirae Romanae cum comoedia antiqua cognatio, si summam spectes, in libertate illa, sive ut Iuvenalis (sat. I. 153.) dicit, in simplicitate ponenda est, qua poeta, si quem

publice famosum videbat, notavit et castigavit; nam privatae inimicitiae privatumque odium eo non pertinebant, quod discrimen facile patebit Horatii satiras et epodos conferenti. Quod censor in lustratione id poeta in satiris persequebatur, quippe qui, quaecunque se poetae circumspicienti obtulerunt, multa cum libertate notaret. Talis fuit Lucilii satira, qui vir non solum mores suae aetatis in universum notavit, sed viros nobilissimos et potentissimos nulla dignitatis ratione habita nominatim perstrinxit. Neque solum vitia eorum aperuit, sed ne sibi quidem ipsi indulsit. Sed tantum abest, ut nihil nisi perversos uniuscuiusque mores castiget, ut virtutem praeceptis, quorum gravitas comitate plerumque ac festivitate condita est, commendet. Nam Horatius dicit (sat. II. 1, 16.):

„Attamen et iustum poteras et scribere fortem"
„Scipiadam, ut sapiens Lucilius. . . . . ."

Sed ad illam oris libertatem accessit praeclara ingenii vis, mira eruditio et vernacula orationis festivitas, atque abunde salis et aceti. Nam et ipsius generis nobilitas et amicorum gratia atque auctoritas, sed imprimis temporum illorum licentia inimicos impedivit, quominus cavillationis et contumeliae dolorem graviori poena ulciscerentur. Has omnes Lucilii virtutes testantur gravissimi Romanorum auctores.

Persius: sat. I. 14. etc.

„. . . . . . . secuit Lucilius urbem,"
„Te Lupe, te Muti, et genuinum fregit in illis."

Iuvenalis: sat. I. 165. etc.

„Ense velut stricto quoties Lucilius ardens"
„Infremuit, rubet auditor, cui frigida mens est"
„Criminibus, tacita sudant praecordia culpa."

Horatius: sat. I. 10, 3. etc.

„. . . . . at idem, quod sale multo"
„Urbem defricuit, charta laudatur eadem."

Hae omnes virtutes, quas enumeravimus, Lucilio propriae tamen id non respiciebant, ut carmina a doctissimis Romanorum probarentur, sed Lucilius hoc unum egit, ut neque

eruditissimi neque indoctissimi operam et laborem in iis diiudicandis collocarent. Dicit enim Cicero (de finib. I. 37.): „Nec vero ut noster Lucilius recusabo, quominus omnes mea legant. Utinam esset ille Persius; Scipio vero et Rutilius multo etiam magis, quorum ille iudicium reformidans Tarentinis ait se et Consentinis et Siculis scribere. Facete is quidem sicut alias.“ Qualis esset character Lucilianus eiusque stili nasus, postquam breviter expositum est, ab instituto haud alienum esse videtur, quam materiam poeta in satiris tractaverit accuratius cognoscere.

Libertas loquendi scribendique, quae nondum Lucilii temporibus vel legibus vel metu tyrannorum praecisa erat, neque magnam vel generis vel ordinis rationem habebat, clare et distincte ex huius poetae satirarum reliquiis elucet. Nam nihil humani a se alienum ducens in poematis totam Romanorum vitam et publicam et privatam tractavit. Quicunque erant mores depravati, quaecunque mala in rem publicam irrepserunt et magistratus et homines privatos impleverunt, quaecunque res ignominia et castigatione, vel laude et comprobatione dignae erant, quaecunque ad studia et artes liberales, denique ad privatam et publicam vitam pertinebant, ea omnia versibus inclusit, ita ut veterem illam varietatem in satiris scribendis exprimeret. Neque sibi ipsi parcebat et indulgebat, sed omnia quae ipsi acciderant, sine ulla simulatione civibus perlustranda proponebat. Quare quis est qui dubitet, quin aequales quasi in speculo vitas omnium civium adspexerint, et quae evitanda vel imitanda essent, satis cognoverint et intellexerint?

Nam ipse dicit (frgt. libr. inc. I.):

„Virtus Albine est pretium persolvere verum“
„Queis in versamur, queis vivimu' rebus, potesse:“
„Virtus est hominis, scire id quod quaeque habeat res.“
„Virtus, scire homini rectum, utile, quid sit honestum,“
„Quae bona, quae mala item, quid inutile, turpe, inhonestum:“
„Virtus, quaerendae rei finem scire modumque:“

„Virtus, divitiis pretium persolvere posse:“
„Virtus, id dare, quod re ipsa debetur honori;“
„Hostem esse atque inimicum hominum morumque malorum,“
„Contra defensorem hominum morumque bonorum,“
„Hos magnificare, his bene velle, his vivere amicum,“
„Commoda praeterea patriae sibi prima putare,“
„Deinde parentum, tertia iam postremaque nostra.“

Horatius sat. II. 1, 62.

„. . . . . Quid cum est Lucilius ausus“
„Primus in hunc operis componere carmina morem“
„Detrahere et pellem, nitidus qua quisque per ora“
„Cederet introrsum turpis? Num Laelius aut qui“
„Duxit ab oppressa meritum Carthagine nomen,“
„Ingenio offensi? aut laeso doluere Metello,“
„Famosisque Lupo cooperto versibus; at qui“
„Primores populi arripuit, populumque tributim;“
„Scilicet uni aequus virtuti atque eius amicis.“

Idem sat. I. 10, 53.

„Nil comis tragici mutat Lucilius Acci?“
„Non ridet versus Enni gravitate minores,“
„Cum de se loquitur, non ut maiore reprensis?“

Idem sat. II. 1, 30.

„Ille velut fidis arcana sodalibus olim“
„Credebat libris: neque si male cesserat unquam“
„Decurrens alio, neque si bene. Quo fit, ut omnis“
„Votiva pateat velut descripta tabella“
„Vita senis. . . . .“

Gellius (noct. Att. VII. 3, 28.): „Tiro Tullius, M. Ciceronis libertus recte, inquit, hoc vitio dat Lucilius poetae Euripidi, quod, cum Polyphontes rex propterea se interfecisse fratrem diceret, quod ipse ante de nece eius consilium cepisset, Meropa fratris uxor hi se eum verbis eluserit:

εἰ γὰρ σ' ἔμελλεν ὡς σὺ φῂς κτείνειν πόσις,
χρῆν καὶ σὲ μέλλειν, ἕως χρόνος δῆθεν παρῆν.

At hoc enim, inquit stultitiae plenum est, eo consilio atque

eo fine facere velle aliquid, uti nunquam id facias, quod velis."

Neque minus locorum situs, montes, fluvios, maria, tempestates, itinera in satiris describit Lucilius, praesertim in libro III. frgt., in quo maxima ex parte tales similesque res tractantur. Accedebant fabellae e poetarum scriptis haustae et excerptae, diverbia a tragoediarum et comoediarum scriptoribus desumpta; Granii denique praeconis, qui dicacitate ne principibus quidem parcebat, sed pari modo omnes vernaculo quodam sapore obruebat, inerant facetiae. conf. frgt. XI. 6.

„. . . . . et iam"
„Coniicere in versus dictum praeconi' volebam"
„. . . Grani . . . ."

Hunc in modum maxima argumentorum varietas a Lucilio in satiris adhibita est, quae argumenta non plane quidem disiuncta et dissimilia inter se fuerunt, sed ad eandem potius rem illustrandam pertinuerunt.

Quare de Lucilii satirarum natura cum multa alia praecipua, tum verissimum dicit hoc Völker (l. c. p. 10):

„Der Stoff der Lucilianischen Satire ist das ganze Leben, der Mensch mit seinen Schwächen und Gebrechen; aber auch litterarische Gegenstände behandelte er, sogar grammatische Untersuchungen, dann auch Reisebilder. Wir können kurz den Geist der Lucilianischen Satire bezeichnen als: Lebensbilder in didaktischer Form. Was den Charakter des Lucilius betrifft, so müssen wir ihn ganz als den alten Republikaner mit der edlen Freiheit und derben Wahrheitsliebe denken, die keine Scheu kennt und zu haben braucht. Dadurch unterscheidet er sich bedeutend von seinen Nachfolgern, die Alle mehr oder weniger ihre Gesinnung nach dem Zeitgeiste modificiren mußten, oder irgend einer philosophischen, also nicht populären Lebensansicht huldigten". Neque minus rem acu tetigisse videtur Heinrich, etiamsi brevius disputat (Iuvenal. sat II. p. 12):

„Lucilius war ein Sittenmaler, seine Dichtart schöpfte aus dem wirklichen Menschenleben, war ein Lehrgedicht zu sitt-

lichen Zwecken mit der Absicht, Thorheiten und Unsittlichkeiten zu rügen."

Constat inter omnes, qui diligentius ad Lucilii fragmenta cognoscenda operam et tempus impenderunt, non maiorem metrorum et versuum, quam ipsorum argumentorum esse varietatem in Lucilii satirarum libris triginta. Nam poeta noster pro horrido illo Saturnio versu dactylicum in satiras induxit. Quo metro solo in primis viginti libris et in tricesimo usus est. Sed quae metra in ceteris libris adhibita sint, si quis accurate et exquisite disputare velit, multum temporis et laboris opus est ad ea studia tractanda, praesertim cum omnia fragmenta lacera et mutilata, multa corrupta atque obscura ad nostram aetatem pervenerint. Quam ob rem, quoniam id mihi in hac commentatione absolvenda non contigit, officio fungi mihi videor, si verba Gerlachii, exquisita viri doctrina, qui multum versatus est in hac materia indaganda, hoc loco affero (Gerlach: Lucil. sat. rel. prolegg. p. 109):

„Fragmenta libri XXII., siquidem numeri librorum recte exscripti sunt, senarios iambicos, hexametrum dactylicum et metrum elegiacum exhibent. Contra liber XXVI. totus ex tetrametris trochaicis acatalecticis et catalecticis compositus esse videtur, nisi quod nonnulli septenarii et octonarii iambici insunt, siquidem libri numerus ubique recte a grammaticis notatus est. Sed etiam in libro XXVII. versus trochaici, iambici et dactylici mixti esse videntur. cf. frgt. 4, 25. Neque diversam libri XXVIII. rationem esse putaverim, quippe in quo et ipso non modo versus trochaici et iambici, sed etiam dactylici insunt. cf. frgt. 5, 17, 31, 32, 47; sed trochaicorum longe maximus est numerus. Contra in libro XXIX. maior iamborum versuum numerus esse videtur, sed etiam creticus inest frgt. 38; dactylici 14, 15, 12, multique trochaei. Unde recte aliquis colligat, in his quidem libris Lucilium ab Ennianae satirae forma non ita multum recessisse, quas et ipsas metrorum et carminum varietate mixtas fuisse Quintiliano auctore homines docti

recte statuerunt.“ (Quintil. X. 1, 95.) Absoluta hac metrorum, quae in Lucilii fragmentis inveniuntur, quaestione, iam restat ut Lucilianum dicendi genus in universum paulo accuratius percenseamus. Qua in re ita versabimur, ut tria potissimum in eius oratione spectanda ante oculos ponamus.

Et primum quidem neminem fugit, quam multa Graeca Latinis immiscuerit, quot verba traiecerit, quoties Graecorum auctorum vestigia secutus sit, ita ut saepius versus incomposito pede currerent et per salebras altaque saxa caderent. Hoc vitium iam notavit Horatius (sat. I. 10. 20:)

„At magnum fecit, quod verbis Graeca Latinis“
„Miscuit. O! seri studiorum.“

Namque alia Graeca vocabula immutata retinuit v. g. „*ἀχάρνης, χειροδύται, θωρακία, ἄτεχνον, σόφος, ὀχληρώδες, πάναιθος, τοκογλύφος, ἀπειψία, Τυρώ, ἄκοιτιν, ἀρχαῖς, σκοπός, εὔφωνα* m. a;“ alia Latinis litteris, Latinas exhibens terminationes, scripsit v. g. „amphitapae, atomi, cataplasmus, schema, choragus, cephalaca, androgyni, monogrammi, oenophorus m. a.;“ in aliis denique Latinae scripturae Graecam terminationem affinxit v. g. „euplocamo, lexeis, empleuron, poeticon, Atticon, parectaton, zopyrion, soloecismon, cacosyndeton, cercopithecos, hippocampelefantocamelos m. a.“ (cf. Gerlach l. c. p. 291.).

Neque minus saepe quam Graecorum Lucilius veterum poetarum Latinorum vestigia pressit — Plautum, Pacuvium, Ennium dico — quos cum saepius reprehendisset, tamen genus dicendi fere idem secutus est. Huc referenda sunt: „amtruo, clarans, commentavi, repedare, resaluto, rostri repandus, porcent remoram facere gradu,“ multa alia, quae enumerare longum est.

Tertio loco Lucilii oratio eo potissimum commemoranda est, quod ipsius populi ut iudicia ita sermonem retulit. Cuius generis longe plurima sunt exempla, ita ut non tam copia quam modus quaerendus esse videatur. Conferatis si placet „anus ad armillum, bulga pilosa, caballus, bisulci, gracila, cibicida, confector cardinum, dens eminulus, dat rectius se,

dare in viscera, in lutum descendere, folliculo indutus, manus uberior, perlabi campos et colles tolutim, gallam bibere, susque deque facere omnia.“

Haec de Lucilii satira eiusque natura et forma. Transeamus nunc ab Horatii satiras et natura et forma explicandas!

B. Satira Horatiana.

Lucilio annis volventibus successit satirae Romanae limandae, perpoliendae, absolvendae artifex Q. Horatius Flaccus, natus Venusiae a. u. c. 689, mortuus 746, qui Quintiliano iudice (l. c. X. 1, 94) „multo erat tersior ac purus magis quam Lucilius et ad notandos hominum mores praecipuus.“ Sed quod iam supra admonuimus, respiciendum esse, quo tempore quisque satirographorum vixerit, quippe quod magnam vim habuisset ad tractandam et excolendam satiram, etiam hoc loco nequaquam negligamus, sed eius certam quandam rationem habeamus! Magna inter Horatianam et Lucilianam aetatem apparebit diversitas, si mores spectantur. Lucilii aevo scabies quidem vitiorum in civitatem irrepserat, at sana virtus etiam tum dominabatur palamque laudabatur.

Horatio autem vivente haec tota vitiis cedere et succumbere coepit; et depravationis animis civium ingruens pestis moenia subruebat libertatis aditumque insolenti aperiebat dominationi. Nam mores, antea paulatim lapsi, iam coeperant praecipites ire et abundantes divitiae ac voluptates, luxus, avaritia ceteraque vitia, quae cum divitiis peregrinis una immigraverant, in dies magis statum rei publicae concutiebant, praesertim cum seditiones Gracchanae, Drusianae aliaeque, mox bella civilia, proscriptiones, dictaturae perpetuae et triumviratus opes imperii subruerent, donec Romani, qui ipsam libertatem ferre noniam poterant, fato irruenti cederent ac Augusti dominationem elata republica libera subirent. Quae dominatio, quamquam libertatem sustulit, tamen meliorem civi-

tatis statum effecit, quam extrema liberae rei publicae tempora viderant. Augustus enim imperio, quod hostes intestini et externi magnopere perturbarant, quietem et dignitatem reddidit, securam civium possessionem firmavit, multa vitia severis legibus si minus sustulit, at certe coërcuit. Idem Augustus ut animos civium a libertatis amissae cogitatione averteret sibique devinciret, plebem ludorum et munerum varietate et magnificentia satiavit atque cum homines vanae gloriae cupidos honoribus cumulavit, tum viros doctos ad studia tractanda excitavit et artes litterasque fovit. „Hac aetate vixit Horatius — liceat enim verba memoratu digna, quibus ingenium moresque Horatii luculenter exposuit Ruperti, (Juvenal. sat. I. 80) exscribere — homo hilaris ac suavis, comis et humanus, urbanus et facetus, levis ac Veneri Bacchoque non minus quam Musis carus, fidus et candidus, gratus et officiosus, ingeniosus et doctus, praeclara praeditus indole, artibus imbutus liberalibus et honestis, familiaritate Graecorum et multo rerum usu subactus, elegantissimorum summorumque virorum politus consuetudine, gratia Caesaris principumque civitatis florens ac tutus, non adsectator eorum vel adsentator humilis et mancipium, nulla philosophiae disciplina adstrictus, sed modo ex Zenonis, modo ex Epicuri hortis flores decerpens, privatam virtutem, quum nulla amplius publica esset, colens ac praecipiens, animo, paupertate et gloriae amore ad carmina facienda impulsus."

Ac ne copiosius disseram de Horatii ingenio eiusque institutione philosophica, hoc unum addo:

Horatius non ut plerisque tunc mos erat, certam aliquam disciplinam secutus est neque merus Epicureus aut Stoicus aut Academicus erat, sed philosophus ἐκλεκτικός. Longe igitur differebat ab iis, qui, ut ait Cicero (Tuscul. II. 2, 5) „certis quibusdam destinatisque sententiis quasi addicti et consecrati sunt, eaque necessitate constricti, ut etiam quae non probare soleant, ea cogantur constantiae causa defendere". Audiamus Horatium ipsum (epist. I. 1, 13):

„Ac ne forte roges, quo me duce, quo lare tuter:“
„Nullius addictus iurare in verba magistri;“
„Quo me cunque rapit tempestas, deferor hospes;“
„Nunc agilis fio, et mersor civilibus undis,“
„Virtutis verae custos rigidusque satelles;“
„Nunc in Aristippi furtim praecepta relabor.“
„Et mihi res non me rebus subjungere conor.“

Hactenus tempus, ingenium, philosophiam Venusini poetae tetigimus; deinceps quam materiem in satiris tractaverit, agedum si placet videamus!

Horatii neque ingenium neque tempora libertatem patiebantur Lucilianae similem. Ipse enim multum abhorrebat a fervido et acri Lucilii ingenio neque is erat rei publicae status, ut omnia ad salutem eius referre, malos cives clamore insectari et omnino liberis verbis uti impune liceret. Unde patet, valde temperatam et aliorsum deflexam esse Horatii satiram. Vitam publicam non tetigit, sed carpsit perstrinxitque privatam. Ac tantum abest, ut immania illa vitia, quibus adhiberi non possint remedia, tractet, ut, cuius rei iam supra breviter mentionem fecimus, stultitiam et errores humanos, qui corrigi queant, satirae materiam faciat atque homines venusta ac iucunda ratione convincat, ipsos non tales esse, quales videri cupiant. Namque vario rerum usu intimaque naturae humanae cognitione imbutus cognoverat, erroribus et animi levitate infirmitateque naturae plura quam eius pravitate gigni vitia atque facilia remedia saepe vehementibus salubriora esse. Neque minus litteras et artes, praesertim cum iudicium de Lucilio eiusque poematum indole et natura proferat, v. g. sat. I. 4, 1; 58; I. 10, 1; 20; 46 etc; II. 1, 16; 28; 62 etc. atque placita Stoicorum cavilletur, multis locis tractat. Quae denique ipsi viventi aut prosperae aut adversae contigerint res, vivide narrat, et quomodo impetus adversariorum averterit. Optime de hac Horatianae satirae materia iudicat Koenig: de sat. Rom. p. 62: „Vitia immania notare suum non erat, sed philosophiam illam, quam non doctorum formulis, sed multa rerum expe-

rientia sibi compararat, et quae in omnibus vitae partibus plus utilitatis habet, quam omnium philosophorum scrinia, cum aliis voluit communicare, praeceptaque sua in hominum animos cum eorum voluptate inducere. Voluit docere, instruere, errores quibus animi opprimerentur evellere, opiniones hominum pravas et temere acceptas tollere aut emendare, rationem, qua optime, secure, tranquille, honeste et voluptate vivere possis, ostendere, et haec omnia ita, ut nulla magistri severitate, nullo philosophi supercilio, nulla docti cuiusdam ostentatione offendereris, sed ut amico ludenti aut potius veritati ipsi, habitu cultuque simplici et amoeno, multa cum urbanitate loquenti, operam dare tibi videreris."

In hac materia explicanda Horatius quamquam rem publicam non tetigit, ab illa antiquae comoediae et Lucilii libertate non abstinet omniumque fere studia in se convertit; quin ut maiorem sibi iustioremque alios carpendi libertatem vindicet, sibi ipsi non parcit, nec melior quam est videri cupit.

Cum hac libertate, quae plurimis ex locis satirarum elucet, arctissime coniuncta et connexa erat veritas; neque quidquam est, quod magis eam comprobet, quam quod plurimorum hominum iram Horatius excitavit. Nam quod virtutes atque vitia vita duce cognoverat, et inde sui aevi verissimam evolvebat imaginem, hominum intima eo magis tetigit, quo minus ira et studio correptus erat, quo clarius omnes vitae conditiones perspectas habebat.

Quas duas virtutes — dico libertatem et veritatem — quamquam maximi iam sunt momenti in poeta satirico iudicando, tamen aequat character ille vere Horatianae satirae, quem totum mirabiliter ipse ita describit: (sat. 10, 11.)

„Et sermone opus est, modo tristi saepe iocoso,"
„Defendente vicem modo rhetoris atque poetae,"
„Interdum urbani, parcentis viribus atque"
„Extenuantis eas consulto. Ridiculum acri"
„Fortius et melius magnas plerumque secat res."
„Illi, scripta quibus comoedia prisca viris est,"
„Hoc stabant, hoc sunt imitandi. . . . ."

Haec verba si quis legat, nonne fateatur necesse est, spirare ea illas veteris comoediae virtutes, quae satiram Romanam ad hoc fastigium perduxerint? Horatius enim his quos attuli versibus sermonem gravem, serium, ad docendum aptum, qualis oratorem atque poetam decet, graviter interdum vitia hominum reprehendentes, distinguit ab sermone iocoso, qualis est hominis urbani, faceti, elegantis, quique locum habet in narratiunculis comicis, fabellis Aesopiis, dialogis. Nam utrumque sermonem difficillimum hoc poesis genus requirit. Quod si sermonem illum gravem et tristem respicimus, Horatius perquam raro hoc utitur; neque tamen omnino excludit, quum ipse profiteatur. „Et sermone opus est, modo tristi, saepe iocoso,“ ita tamen, ut ridiculo primas deferat „Ridiculum acri fortius et melius magnas plerumque secat res.“

Quod attinet ad sermonem iocosum et urbanum, Quintilianus (l. c. VI. 3, 105.) ita loquitur: „Urbanus homo erit, cuius multa bene dicta responsaque erunt, et qui in sermonibus, circulis, conviviis, item in concionibus, omni denique loco ridicule commodeque dicet.“ Quare prima virtus ingenui et elegantis viri est urbanitas. Qui hac praestant, noverunt cum hominibus versari, quomodo oporteat: illos enim oblectant potius quam laedunt. Neque minoris momenti est illa sermonis urbanitas in vitiis et erroribus curandis. Nam ardere, instare, aperte iugulare, cum de peccantium morbis emendandis agitur, omnino inutile est; suavibus profecto et lenibus remediis, non asperis et irritantibus morbi animorum curandi sunt. Si contraria medendi via initur, ita exacerbantur et in dies gliscunt, ut nulla spes sanitatis reliqua futura sit. Propterea urbanitate Horatiana feri et indomiti affectus, qui homines transversos agunt, et a recto rationis tramite secum abripiunt, cicures fiunt et quasi frenis iniectis in gyrum prudentiae compelluntur. In hanc fere sententiam Persius (sat. I. 116.) dixisse videtur:

„Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico“
„Tangit et admissus circum praecordia ludit;“
„Callidus excusso populum suspendere naso.“

Sed satis mihi multa verba fecisse videor, unde apparet, satirae Horatianae characterem plane quadrare ad hoc poesis genus. Transeamus ad rationem tractandi argumenta, atque sententiarum nexum et ordinem, qualia se praebeant, enucleanda!

Venusini poetae satirae, quarum quaeque multiplex fere, non unum tantum et simplex argumentum habet, atque absolutum quasi spectaculum continet, ita ut neque quidquam ad perficiendam satiram addi nec desumi possit, nisi diluere et deterere unitatis rationem velis, primo obtutu negligentiam magis quam artem prae se ferre videntur. Nam saepe e via aberrat, quam modo ingressus erat, et vel certum finem haud sequi videtur, vel ad metam ambagibus contendit. Huc praecipue referendae sunt aptae illae occasiones, quae a tempore aliquo aut loco aut persona oblatas se praebent atque efficiunt, ut obliquis orationibus et velut longe aliud agens, dissimulata et occulta ridendi et secandi voluntate, errores et vitia carpat et persequatur poeta. Neque tamen strictissima unitatis ratione carent satirae; nam naturali arctoque vinculo coniuncta omnia inter se constrictaque sunt, ex aliis alia mirifice pendent, extrema cum primis et partes cum toto praeclare cohaerent. Confer si placet ea, quae Teuffel l. c. p, 12 dicit: „Horaz hat hinsichtlich der Anlage seiner einzelnen Gedichte die Planlosigkeit und Ungezwungenheit der satura, welche behaglich plaudert über was es ihrem Dichter einfällt, auf das mit den Anforderungen der Kunst vereinbare Maß herabgesetzt. Zwar im Grundsatz hält er auch hier daran fest, daß die satura freie Unterhaltung des Dichters über beliebige Stoffe aus der Gegenwart sei, er hält daher das Ganze der Anlage, wie die Einzelheiten der Ausführung mit Absicht locker und überrascht uns durch scheinbare Sprünge. Aber die Anforderungen der Kunst verliert er nie aus den Augen, und er genügt ihnen mit dem Fortschritt seiner Ausbildung in immer vollerem Maße. Ueberblicken wir auch nicht gleich am Eingange die ganze Gedankenreihe wie in Einer Flucht, sondern finden uns

unversehens mitten in eine Frage gestellt, bringt uns der Verlauf manche Ueberraschungen und scheinbare Seitensprünge, und scheint in Bezug auf den Schluß nur heitere Willkür zu walten, so gewahren wir doch bei näherer Betrachtung einen wohlangelegten Plan, sehen die Sache erschöpft und haben ein klares Gesammtbild, ein festes Ergebniß."

Jam ut de forma, qua Horatii satirae compositae sunt, nonnulla dicamus, hoc praecipue animadvertendum est, omnem eius satiram triformem esse. Aliquando enim simplici oratione constat: nimirum ex poetae persona res exponitur, cuiusmodi sunt pleraeque satirae libri primi.

Interdum Horatius duplicem personam sustinet: scilicet suam et amici, quod nobis occurrit in satira prima libri secundi, ubi poeta et Trebatius iurisconsultus colloquuntur.

Nonnunquam totam orationem aliis tribuit, quod est proprium dramatici poematis. Exemplum huius formae luculentum fuerit satira quinta libri secundi, in qua Tiresias vates inducitur admonens Ulixem, quomodo senem locupletem colere debeat, ut ab eo in testamento scribatur heres. Diximus de triformi satirarum forma; quid dicam de numeris a Horatio in his poematis adhibitis?

Ut poeta noster verba Graeca ab hoc carmine exclusit, ita satiram heroico versui, spretis metris aliis, propriam asseruit. Lucilium et Plautum vix metri legem servantes et prosae orationi quam simillimos Horatius culpavit. Lucilio enim vitio dedit, quod numeros impolitos et scabros versus fecisset; nam sat. I. 10, 1 sic effatur:

„Nempe incomposito dixi pede currere versus“
„Lucili. Quis tam Lucili fautor inepte est,“
„Ut non hoc fateatur? . . . .“

et eiusdem satirae versu 56:

„Quid vetat et nosmet Lucili scripti legentes“
„Quaerere, num illius, num rerum dura negarit“
„Versiculos natura magis factos et euntes“
„Mollius, ac si quis pedibus quid claudere senis,“

„Hoc tantum contentus amet scripsisse ducentos"
„Ante cibum versus totidem coenatus? . . . . ."

Plautum etiam reprehendit quod insigni licentia versus comico poeta minus dignos effudisset: (ars poet. v. 270)

„At vestri proavi Plautinos et numeros et"
„Laudavere sales: nimium patientes utrumque,"
„Ne dicam stulte, mirati, si modo ego et vos"
„Scimus inurbanum lepido seponere dicto"
„Legitimumque sonum digitis callemus et aure"

Quare si quis Horatii satiras perlustraverit, poeta noster quamvis in antiquioribus notaverit hanc numerorum dissolutionem, nihilominus ab eodem vitio ipse abstinere non potuisse et versus illaboratos et sine arte ac studio scriptos composuisse videtur. Sed cum Horatius eodem loco, quo Plautum perstrinxit, versus ad artis leges et regulas elaboratos callere se profiteatur, hoc loco animadvertendum est, ratione habita et opera data, non imprudentia vel inscitia vel ingenii tarditate in versu quem adhibuit in satiris componendo duriusculum aliquando se praestitisse Horatium. Nam hexametros valde elaboratos, concinnos, rotundos ut praecipue heroico poemati convenire satis intellexit, ita minime satirae aptos esse haud ignoravit, quae ab ipso poeta (sat. II. 6, 17.) „musa pedestris" atque (epist. II. 1, 250.) „sermones per humum repentes" vocata, popularem sermonem et genere dicendi humili vel mediocri, et ipsis numeris neglectis quodammodo et horridulis imitari deberet. Si enim cum lyrica scriberet poemata, adeo suavis esse potuit, cur non eandem suavitatem servare potuerit in satiris Horatius, si voluisset atque rem aptam et consentaneam existimasset, nullam certe causam equidem video.

Satira Horatiana hunc in modum breviter enucleata, ne in silvam ligna feramus, cum referti sint doctorum virorum libri materia hac ab ipsis tractata, nunc quod ab initio erat institutum, ad opera Persii et Juvenalis perspicienda et iudicanda pergamus!

C. Satira Persiana.

Quae qualia sint et quatenus legibus satirae ab antiquis auctoribus constitutis responderint, tempore magistro ac duce agedum cognoscamus! Omnium igitur primum quibus aetatibus hi satirographi vixerint, animo perlustrare necesse est.

Insanabile illud venenum, quod intestinis rei publicae Romanae sensim infuderat et instillaverat vitiorum contagio, eo tempore, quo ultimi nobis memorandi satirae Romanae scriptores: A. Persius Flaccus in lucem editus equestri ordine in Etruria Volaterris a. 787 a. u. c., mortuus 815 a. u. c. et D. Junius Juvenalis, Aquini Volscorum oppido oriundus a. 791 a. u. c., mortuus circ. a. 874 a. u. c. in Aegypto, vitam trahebant, totum iam confecerat imperii corpus et lugendam paraverat humanitatis ruinam. Nam Augusto mortuo libidines et vitia, quae usque ad hoc tempus clam magis quam palam exercita erant, uno quasi tenore animos Romanorum fere omnes occuparunt, praesertim cum munirentur et publica auctoritate et exemplis Caesarum inde a Tiberio usque ad Vitellium.

Frugalitas deinde Vespasiani et liberalitas Titi, qui amor et deliciae generis humani vocabatur, statum rerum aliquanto recreavit, donec avaritia et crudelitate Domitiani, qui rerum potiebatur, iterum pernicies in civitatem illata est. Nervae demum et Traiani et Hadriani imperio feliciora tempora videbat civitas Romana. Quare quis est qui dubitet, quin ante Vespasiani aetatem, quoniam ipsi principes omnibus flagitiis et sceleribus favebant, pristinae aetatis virtutes evanuerint et in earum locum omnis generis vitia sine ullo pudore successerint, ita ut honores non virtutibus et meritis paterent, sed vel divitiis et nobilitati, vel sordibus artibusque inhonestis? Ut corpora Romanorum nimia libidine et mollitie diffluebant et ante tempus senescebant, ita animi quoque fracti atque enervati spernebant virilia et robusta, ad mollia tantum et effeminata turpiter exsultantes. Quam-

obrem haud mirandum est, quod paucis viris exceptis — dico Senecam praecipue et Cornutum — plerique disputandi tantum cupiditate ducti vel sola vanae ostentationis causa vel voluptatum illecebris capti philosophorum nomen exprimebant, quod eloquentia, postquam libertas et comitia a Tiberio sublata sunt, ad scholarum umbram fictarumque causarum simulacra traducebatur, quod poetica denique oratio a natura, ingenio rectoque iudicio, a quibus tota pendet, ad artem et praecepta, quae sine illis minime valent, iam exeunte saeculo Augusteo devertebat. Hinc tenerrimum melius vivendi desiderium, e maestissima praesentis rerum morumque conditionis aegritudine natum et profectum tam Persii et Iuvenalis, quam ceterorum scriptorum perditae istius aetatis operibus notam impressit propriam et indelebilem. Quae nota variis se praebet distinctam coloribus. Operae igitur pretium videtur paucis illud quoque attingere satiricorum par, quod dum mores suae aetatis ob oculos ponit, omnium aetatum vitia perversitatesque perstrinxit.

Atque ut incipiamus a Persii satira, consenserunt antiqui uno ore in Persio summis laudibus extollendo. In vita eius, quae Suetonio tribui solet, morum lenissimorum, verecundiae virginalis, frugi, pudicum fuisse eum traditum est, nec infelicem scriptorem; nam, ut sunt verba ibidem, „editum librum continuo mirari homines et deripere coeperunt.“ Nec gloriae laudem eidem abiudicat Quintilianus, cuius verba sunt: „multum et verae gloriae quamvis uno libro meruit Persius.“ Ipsum vero si consulemus, de se profitentem inveniemus (sat. I. 12), „Sum petulanti splene cachinno,“ et (sat. V. 15), „Pallentes radere mores doctus et ingenuo culpam defigere ludo.“ Sin ingenium Persii, quale ex satiris eius eluceat, dignoscere studemus, talem atra bili plenam, qualem ipse finxerit, naturam eius haud fuisse confitebimur. Commode ab eo loco ordiamur, ubi Persius se Lucilii, Horatii atque antiquae comoediae Atticae illustria exempla aemulatum esse praedicat, idque quatenus valeat accuratius dispiciemus.

Dicit enim sat. I. 114 sqq.

„. . . . . Secuit Lucilius urbem,“
„Te Lupe, te Muti, et genuinum fregit in illis.“
„Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico“
„Tangit et admissus circum praecordia ludit,“
„Callidus excusso populum suspendere naso.“

ibidem v. 123 sqq:

„ . . . . Audaci quicunque afflate Cratino,“
„Iratum Eupolidem praegrandi cum sene palles,“
„Adspice et haec, si forte aliquid decoctius audis!“

Si Persium Lucilii imitatorem respicimus, gravis momenti est, quod de prima Persii satira refertur. Nam quod in vita eius legitur: „Sed mox ut a scholis magistrisque divertit, lecto libro Lucilii decimo vehementer satiras componere instituit, cuius libri initium imitatus est, sibi primo, mox omnibus detracturus cum tanta recentium poetarum et oratorum insectatione, ut etiam Neronem principem illius temporis culpaverit,“ haec ad primam satiram referenda esse, nemo est qui neget. In hac enim primo in prologo sibi irridet, deinde in poetas et oratores sui temporis ipsumque Neronem invehitur, quod de ceteris satiris non valet. Fuit autem, ut iam supra expositum est, Lucilii quoque satira in ea re occupata, ut poetas castigaret tam Graecos quam Romanos. Quamquam igitur Lucilium imitatus esse videtur Persius, tamen inter utrumque diversitas intercedit et tempore et ingenio adducta. Nam Lucilius, qui liberam videbat rem publicam multumque erat in negotiis publicis imbutus, eo tempore vixit, quo libero ore quemque castigare impune licebat; atque ipsi fuit ingenium, quod spirabat festivitatem et iocandi libertatem, ita ut sermo incompositus quidem et nimis saepe rudis, at semper esset urbanus et abunde salis continens. Persius vero, si eius tempus respicimus et ingenium, mirum quantum distat a Lucilio, cum, quoniam eum vidit civitas a multis tyrannis oppressa et corrupta, in Stoicorum disciplina philosophica refugium quaesiverit, a rebus publicis plane alienus; ingenium vero fuit ei mite et disciplina severa triste, raro et tarde scripsit.

Quod attinet ad Horatianam Persii imitationem, non solum sermonem suum in singulis ad Horatii exemplum, idque non inscius sed volens conformavit, sed etiam mutationes ita adhibuit, ut quod ille acute et festive dixisset, id acutius festiviusque dici posse putaret; quo factum est, ut aspera quaedam inaequalitas oriretur, quae aliena est a decora Horatiana gratia. Quae omnia si quis diligenter consideraverit, nonne fatendum erit, paupertatem ingenii quandam et animum usu nondum comprobatum Persium prae se ferre? Neque minus ingenium et tempus Horatii distabat a Persio. Nam illi mobile erat ingenium, quod quadrabat ad res facile tractandas et animus nulli philosophiae plane addictus; praeterea tempus civibus, qui bellis intestinis defessi erant, quietem promittebat. Haec omnia minime cadunt, ut supra uberius dictum est, in Persianum tempus et ingenium. Recte eam ob causam dicta esse videntur, quae leguntur in Iahnii proll. p. 88:

„Persius in Flacci pelago decurrit et audet“
„Mendicasse stilum satirae, serraque cruentus“
„Fodit et ignorat polientem pectora limam“

et in Heinrichii Persii edit. p. 57: „Es ist nicht zu leugnen, daß seine Natur ihn anders gebildet hatte, als er selbst glaubte. Aus Lektüre, aus den Unterredungen seiner Lehrer und Freunde, aus der Rhetorschule hatte der feurige, geistvolle Jüngling sich ein Bild von der Welt und den Menschen gemacht, dazu schon manche Erfahrung, in so weit sie leicht zu machen war, manchen Blick in's Leben und in das verderbte Menschenherz gethan. Dagegen jener Naturtrieb oder innere Drang zur Satire, welcher uns bei Horaz und Juvenal über deren wahren Beruf gar nicht zweifelhaft läßt, jenes Genie für dieselbe ist bei Persius nicht vorhanden. Ohne Bekanntschaft mit dem Liebling Lucilius wäre er schwerlich Satiriker geworden, von außen her kam ihm dieser Beruf. Lucil selbst hat er nachahmungsweise wohl nicht viel benutzen können; dazu stand er jener Zeit und ihrer Bildung zu fern, von Horaz aber wurde er ein solcher Nachahmer, daß Bentley ihn mit Recht einen perpetuum

Horatii imitatorem nennt. So wie Persius den Anstoß zur Satire von außen bekam, so nahm er sich auch den Horaz zum Muster, den er fleißig las, wie er auch die attischen Komiker kannte und studirte. So ruht er auf fremden Grundsätzen und Mustern, er hat der römischen Satire kein neues Feld gewonnen, ihr nicht neuen Stoff zugeführt, nicht mit neuen Gegenständen sie bereichert."

Quam parum aptus et habilis fuerit Persius ad Lucilium et Horatium imitandos, ex his quae breviter exposita sunt, satis apparet. Quomodo vero exemplum principum antiquae Atticae comoediae secutus sit, nunc ut deinceps erat propositum, videamus!

Quod dicit poeta (sat. I. 123 sqq.):

„. . . . Audaci quicunque afflate Cratino,"
„Iratum Eupolidem praegrandi cum sene palles,"
„Adspice et haec, si forte aliquid decoctius audis!"

hoc ex simili errore ortum videtur, quam quo satiram suam Lucilianae comparavit. Nam intellexit Persius, ab antiqua comoedia pendere Lucilium et Horatium; quos si imitabatur, etiam haec ipsi exemplar esset necesse erat. At iam semel iterumque ob oculos posuimus, neque Persii tempus neque ingenium aptum fuisse ad priores satiricos aemulandos; nedum ad sequendum antiquae comoediae exemplum quadret, cuius vis in eo locata est, quod in libera republica summa cum libertate, si quis publice famosus et vitiis insignis esset, eum notabat et castigabat. Quatenus Persius antiquam illam comoediae libertatem servaverit, si animo volverimus, inter primam satiram et quinque ceteras summum discrimen esse facile concedemus.

In harum enim quinque satirarum unaquaque Persius sententiam aliquam e disciplina Stoica desumtam ita exponit, ut in scholis eas tractare didicerat. Cum enim Stoici disputantes in singulis ethicae philosophiae praeceptis explicandis ad vitam quotidianam spectarent et rem exemplis vel inde vel ex historia desumtis comprobarent, Persius quoque errores

ad Stoicorum placita vitiaque ad rigidae virtutis regulas exegit, et vel iuveniliter arsit vel morositate correptus est.

Unde factum est, ut praecepta ac tela si minus omnia, at maxima ex parte e schola peteret, non e vita. Hanc rem si comprobare licet, cum multa alia praesto sunt argumenta, tum praecipue docent exempla, quae ex vita communi plerumque petiit. Haec enim quamvis in eorum electione, depictione, exornatione propria quaedam ars et virtus conspicitur, tamen non certum tempus nec certos homines ob oculos ponunt, sed abstractas imagines referunt.

His igitur satiris Persius minime sufficit respondetque iis, quae explere debebat, si comoediam vere imitandam sibi proposuerat.

Feliciori tamen successu secutus est illam, cum primam scriberet satiram, in qua quoniam corruptum litterarum statum notavit, debebat minus Stoicorum placita adhibere, quam vitam ipsam quaerere, ut satiricus officio satisfaceret. Quod in Horatio iam vidimus, qui nusquam gravius commovetur, quam ubi de litterarum conditione disserit, hoc etiam magis valet de Persii temporibus atque hac satira. Nam ea Romanae civitatis aetate, qua omnes a republica administranda remoti erant, cuius curam unus gerebat, nihil antiquius habebant quam ut studia cives colerent et artem poeticam exercerent. Sed tantum aberat, ut hi scriptores verum liberalium artium animum spirarent, ut ad inanem iactationem et ostentationem puerilem verterentur, quoniam sola versuum pangendorum laude gauderent. Ita in dies magis incalescebat ille scribendi et recitandi furor, qui ineptis laudibus extollebatur. Haec corrupti sermonis indoles, haec poetarum et oratorum oratio consentanea erat rationi illius temporis quo homines praecipites a natura recedebant, cum non iam diligenti Graecorum lectione et consuetudine, sed inani grammaticorum et rhetorum institutione conformarentur. Hanc depravatam litterarum conditionem et statum corruptum egregie descripsit Persius, non digressus ab illa comoediae et priorum satiricorum libertate, et in hac re tractanda verum

se praestitit satirographum. Cum enim in litteris quasi tabernaculum posuerit et pravam illam turpemque corruptionem bene perspexerit, haud mirum est, quod populi depravatum iudicium acerbe castigavit et perversum poetarum studium magnopere derisit. Ex his, quae exposita sunt, longe melius in prima hac satira, quid satirici poetae esset Persium intellexisse quam in ceteris, neque iniuria in hac professum esse, se Lucilii, Horatii et antiquae comoediae aemulatorem esse iam elucet.

Quae essent satirarum argumenta perspeximus; quare quod iam supra memoratum est, Persium uti solere exemplis e vita communi petitis, quomodo in his eligendis et depingendis versetur, in universum consideremus! Persius exempla ita describit, ut sermonis morumque accuratissimam rationem habeat et homines quasi viventes proponat, ut omnia videamus et audiamus, ut singula denique optime depicta sint. Huc pertinent iracundi rugosa sanna (sat. V. 91); ridentium tremuli naso crispante cachinni (III. 87); zelotypus qui crudum unguem abrodit (V. 162); m. a. Sed haec exempla, quamquam artem quandam in iis describendis adhibitam esse negari non potest, ita ut in partibus exornandis amplificandisque occupatus sit poeta, Horatianis tamen longe postponi debent. Nam neque ad summam rei spectant, neque subtiles res et notiones illustrant et confirmant, sed vulgares oculis subiiciunt.

Ut a Persio una tantum et altera sententia et argumenti pars, nunquam vero actio convertitur, ita eius dialogus poeticae similior est figurae, quam vividae rerum repraesentationi, quae magna sententiarum varietate et novitate delectat. Praeterea saepe in dubio positum est, utrum verba quae leguntur sint adversarii aliquid opponentis, an poetae ironice loquentis. Quoties enim Persius alium inducit sibi aliquid obiicientem, sic personam alienam sustinet, ut suam interea non deponat. Hoc animadvertendum est praecipue in satira prima, ubi dum gloriae hominum, qui ingenii vere poetici expertes sunt, patrocinari videtur, simul tamen satirico

sale illos secat. Nam patrocinatur is, cuius personam poeta sumit, irrisio ab auctoris mente est. Haec de Persii dialogo.

Sed ut obiter loquar de eius versibus, hoc unum dicendum est: Hexametri Persiani maiore cura quam Horatiani expoliti, numerosiores et concinniores sunt, iidem sonori ac fluentes, quantum patitur lex et ratio suscepti operis; nunquam enim obliviscitur Stoicae virilitatis. Ne nimis longi simus in absolvenda Persii satirae natura et forma, hoc restare censeo, ut fusius dicam de eius orationis obscuritate.

Quamquam enim a viris recentioris aetatis doctissimis mirae obscuritatis incusari saepius solet, hanc tamen non tam Persii propriam quam saeculi fuise cognoscere possumus. Coaevis non obscurus fuit, quod multa testimonia probant. Nam in vita eius, quae Suetonio tribui solet, legimus hoc: „Editum librum continuo mirari homines et diripere coeperunt.“ Dicunt etiam Quintilianus: (X. 1, 94.) „Multum et verae gloriae quamvis uno libro Persius meruit“ et Martialis (epigr. IV. 29, 7.):

„Saepius in libro memoratur Persius uno,“
„Quam levis in tota Marsus Amazonide.“

Hos auctores quamvis iam antea loquentes induxerim, hoc etiam loco memoravi, quia non potest melius hoc de quo agitur comprobari, quam ab his factum est, idque ab iis, qui Persii aequales fuerunt.

At quotuplici causae debetur illius obscuritatis origo? duplici: quod nec corruptum sui saeculi, nec, ab auribus vulgi abhorrens, Stoicorum evitaverit dicendi genus.

Si corruptum saeculi genus dicendi perlustramus, in duas abierunt partes illius temporis scriptores, quorum alii molles inani verborum copia gaudebant, alii rigidi et severi brevitatem et obscuritatem prae se ferebant. Persius vero dum illorum vitia impugnat et evitat, in contraria incidit et hunc in modum secutus est hos. Neque enim in mentem sibi revocavit praestantissimum illud Tullianum: (Cicero: de opt. gen. dic. II. 4).

„Quoniam eloquentia constat ex verbis et sententiis, perficiendum est, ut pure et emendate loquentes, quod est Latine, verborum praeterea et propriorum et translatorum elegantiam persequamur, in propriis, ut aptissima eligamus, in translatis, ut similitudinem secuti verecunde utamur alienis“, sed obscurus fit, quod nimia brevitate et sententiis abruptis gaudet, sicut audax est in verbis transferendis, cum omnia nove et fortissime exprimendi studio correptus sit.

Altera causa cur Persius in dicendo obscuritatem praebeat, haec est quod Stoicos sequitur, quorum e fontibus deviis et abstrusis hausit doctrinam et multiplicem eruditionem. Hi rerum copiam, verborum parsimoniam amabant. Nam cum austeri et severi omnium rerum iudices inanem sine viribus ostentationem contemnerent, etiam in disputationibus et libris asperum et brevem neque minus obscurum animum ostendebant. Appellat igitur haud immerito Cicero iam illorum sermonis genus (de oratore II. 38, III. 18.) „non liquidum, non fusum ac profluens, sed exile, aridum, concisum ac minutum, inane, ieiunum, attamen eiusmodi, quo uti ad vulgus nullo modo possit.“ Ita Persius, qui hauserat e disciplina et consuetudine Stoicorum eruditionem, in illorum quoque vitia incidit, non evitans Horatianum illud: (ars poet. 25)

„Brevis esse laboro, obscurus fio.“

Ex iis quae allata sunt patet, communia fuisse Persio haec vitia cum multis aliis viris, qui meliorem rerum et litterarum ordinem quantum in ipsis expeterent.

Habetis iam gravissima, quae dicenda erant de Persii satira. Quae quamquam aperte declarant, poetam hunc non attigisse illud satirae Horatianae fastigium, tamen haud indignus est, qui propter multas virtutes inseratur ordini clarissimorum satiricorum.

Nam ut coronidis loco inducam Iahnium loquentem, aequum et incorruptum Persii iudicem, hic vir laudes Persianarum satirarum clarissime expressit hoc iudicio ferendo (l. c. p. 4.): „Hac, quidquid de poetica facultate statuas,

spirant profecto animum vere Romanum, veritati atque virtuti unice addictum, et iuvenili favore pro libertate, quam unicum et solum bonum habet, pugnantem."

D. Satira Iuvenaliana.

A Persio multum discrepat coaevus D. Iunius Iuvenalis, si ingenium utriusque spectatur et genus scribendi. Huius in satiris progrediendi rationem ingeniose notavit Ruperti (l. c.) his verbis: „In ipsa plerumque vitia invehitur, vel scutica caedens, vel tollens cachinnum." Etenim poeta, qui ut supra memoratum est pessimam inter Romanos vigentem adspiciens pravitatem, ipse indignabundus libera voce praedicaverat (sat. I. 45. sqq.):

„Quid referam, quanta siccum iecur ardeat ira,"
„Cum populum gregibus comitum premit hic spoliator"
„Pupilli prostantis? et hic damnatus inani"
„Iudicio? (quid enim salvis infamia nummis?)"
„Exsul ab octava Marius bibit et fruitur dis"
„Iratis; at tu victrix provincia ploras?"

et sat. I. 73. sqq.:

„Aude aliquid brevibus Gyaris et carcere dignum,"
„Si vis esse aliquis: probitas laudatur et alget."
„Criminibus debent hortos, praetoria, mensas,"
„Argentum vetus et stantem extra pocula caprum."
„Quem patitur dormire nurus corruptor avarae,"
„Quem sponsae turpes et praetextatus adulter?"
„Si natura negat, facit indignatio versum,"

specimen indolis tranquillae et perturbationibus vacuae dare non potuit. Cumque immania illa vitia in praecipiti iam stantia videret, quae, quod hominum suae aetatis mores corrigere et emendare voluit, summopere bilem poetae commovebant, minime iocus ille Horatianus vereque sermo urbanus suo erant loco. Nam quod risus laeta quaedam est ac festiva vituperatio, et res horribiles risum excitare non

possunt, etiam rideri feritas vel urbane traduci non potest. Priorum igitur satiricorum vestigia se reliquisse in satira conscribenda ingenue fatetur Iuvenalis noster: (sat. VI. 634. sqq.)

„Fingimus haec, altum satira sumente cothurnum“
„Scilicet, et finem egressi legemque priorum“
„Grande Sophocleo carmen bacchamur hiatu,“
„Montibus ignotum Rutulis coeloque Latino.“

Et sane sunt sarcasmus Archilochius et cachinnus perversus, quos in Lucilii et Horatii satiris frustra quaerimus, Iuvenali proprii, ita ut non vellicet, sed confodiat. „Nam,“ ut ait Koenig (l. c. I. 87) „cum inter eos homines viveret, quorum animi vitiorum diurnitate callum iam duxerant ingeniaque obtusa erant luxuria: urbanitate et facetiis, quae Horatium nobilitaverunt, iocisque subtilibus et acutis vix poterat uti. Accedit quod is quem indignatio ex sceleribus, improbitate et turpitudine orta instigat, nihil potest suspenso brachio notare, nihil facete illudere; in summam invidiam contra adducit, quae vituperanda sunt, et risus lenis et iucundus, quo ab animi permotione liber usus fuisset, nunc in cachinnum abit.“ Item Völker l. c. p. 22: „Juvenal hat es nicht wie Horaz mit allgemein menschlichen Schwächen vom philosophischen Standpunkt aus zu thun; nein er geht gerade zu auf seine Zeit los, deren Werth er an den Maßstab einer allgemeinen Moral hält, wie sie dem guten Menschen von Natur eingeboren ist und sie sich im alten Römerthum als eine allwaltende, unbewußt wirkende Macht beurkundet hatte. Er kann nicht lächeln, da ihm das Weinen näher ist; er muß zürnen, er muß schelten, er muß geißeln und züchtigen. Es ist eine derbe, urkräftige Natur in diesem Menschen, ein energischer, starrer Eigensinn, der ihn gegen Alles opponiren läßt, was die Zeit bringt; sein Griffel ist in bittere Galle getaucht.“

Haec quamquam exiguo modo exposita sunt, tamen spero fore ut ostendant, qualis fuerit character satirae Iuvenalis quantumque discrepet ab Luciliano et Horatiano.

Idem discrimen se quoque praebet, si horum duorum

satiricorum argumenta, quae in poematis adhibent, conferuntur cum Iuvenalis argumentis. Iucunda enim illa et suavis varietas argumentorum, quae in Lucilii et Horatii satiris ad unum tamen finem spectant, ut hilariter sane ridendo et castigando mores emendentur, in huius poetae operibus magnopere desideratur. Iuvenalis unum et simplex argumentum pertractat in singulis satiris, secutus morem rhetorum, qui unam semper thesin explicabant et recto itinere dirigebant cursum, quo contendebant, raro a via aberrantes. Quare quid est, cur miremur, quod Iuvenalis, cum rhetorum scholas diligenter frequentasset et hanc ipse artem usque ad aetatem quadraginta annorum exercuisset, cumque se proprium nulli philosophorum scholae tradidisset — dicit enim sat. XIII. 120. sqq.:

„Accipe quae contra valeat solatia ferre,"
„Et qui nec Cynicos, nec Stoica dogmata legit"
„A Cynicis tunica distantia, non Epicurum"
„Suspicit exigui laetum plantaribus horti"—

proposuit in satiris poeticas thematis rhetorici propositiones?

Huius tamen artis Horatianae defectum compensat vividis singularum rerum imaginibus, sententiarum veritate et gravitate, dictiones proprietate. Quamquam enim singulae partes cum toto opere tam laxe cohaerent, ut sine totius ordinis perturbatione earum multae vel transponi vel plane omitti possint, easdem tamen Iuvenalis velut in tabula depictas summa cum arte exornavit. Hanc Iuvenalis proprietatem dilucide descripsit Duentzerus (Die Römischen Satiriker p. 244): „An einer kunstvollen Composition, welche ein lebendig bewegtes Ganze uns vorführte, fehlt es bei unserem Dichter völlig, der überall nach einem nüchternen rhetorischen Schema arbeitet oder seine Gedanken kunstlos nebeneinander stellt. Seine Größe liegt in der eigenthümlichen Schärfe, mit welcher er die Bilder des in schreckliche Verdorbenheit gesunkenen Lebens vor uns aufzurollen und uns den Gedanken zur Anschauung zu bringen weiß, wie sehr die Römer von der alten Tüchtigkeit entartet sind."

Ad hanc rem comprobandam multae nobis occurrunt descriptiones in Iuvenalis operibus ingeniosae et varii generis, quarum nonnullas hoc loco afferre liceat; v. g. III. 69. sqq.

„Hic alta Sicyone, ast hic Amydone relicta,"
„Hic Andro, ille Samo, hic Trallibus aut Alabandis,"
„Esquilias dictumque petunt a vimine collem,"
„Viscera magnarum domuum dominique futuri."

III. 86. sqq.:

„Quid quod adulandi gens prudentissima laudat"
„Sermonem indocti, faciem deformis amici,"
„Et longum invalidi collum cervicibus aequat"
„Herculis, Antaeum procul a tellure tenentis?"

XIV. 287. sqq.:

„. . . . Parcat tunicis licet atque lacernis,"
„Curatoris eget, qui navem mercibus implet"
„Ad summum latus, et tabula distinguitur unda:"
„Cum sit causa mali tanti et discriminis huius"
„Concisum argentum in titulos faciesque minutas."
„Occurrunt nubes et fulgura: solvite funem,"
„Frumenti dominus clamat, piperisque coemti."
„Nil color hic coeli, nil fascia nigra minatur:"
„Aestivum tonat. Infelix hac forsitan ipsa"
„Nocte cadet fractis trabibus, fluctuque premetur"
„Obrutus et zonam laeva morsuque tenebat."

Multa etiam occurrunt ad indignationem movendam comparata: v. g. III. 182. sqq.:

„. . . . . Hic vivimus ambitiosa"
„Paupertate omnes. Quid te moror? omnia Romae"
„Cum pretio. Quid das, ut Cossum aliquando salutes?"
„Ut te respiciat, clauso Veiento labello?"
„Ille metit barbam, crinem hic deponit amati,"
„Plena domus libis genialibus: accipe, et istud"
„Fermentum tibi habe: praestare tributa clientes"
„Cogimur, et cultis augere peculia servis."

Quid denique gravius et contemtui accommodatius est versibus XIII. 145. sqq.?

„Confer conductum latronem, incendia sulphure coepta“
„Atque dolo, primos cum ianua colligit ignes;“
„Confer et hos, veteris qui tollunt grandia templi“
„Pocula adorandae robiginis et populorum“
„Dona vel antiquo positas a rege coronas.“
„Haec ibi si non sunt, minor exstat sacrilegus, qui“
„Radat inaurati femur Herculis et faciem ipsam“
„Neptuni; qui bractéolam de Castore ducat.“
„An dubitet solitus totum conflare tonantem?
„Confer et artifices mercatoremque veneni,“
„Et deducendum corio bovis in mare, cum quo“
„Clauditur adversis innoxia simia fatis.“

Erit ergo haec summa iudicii de Iuvenalis descriptionibus, similitudinibus et exemplis si licet verbis expressa Rupertianis (l. c. p. 94): „Iuvenalis errorum scelerumque imagines ardentissimis plerumque pinguissimisque coloribus adumbrat et in his eximiam artem gravitatemque, in descriptionibus insignem rerum cognitionem, varietatem ingeniique aciem, in exemplorum delectu iudicium subtile, in eorum copia exquisitam doctrinam, sed in figuris exornandis nimiam interdum curam ostendit: ita ad vivum resecat omnia etiam turpissima et nihil praetermittit, quod vel ad cachinnum commovendum valere queat.“ Idem fere iudicat Heinreich (Iuv. II. 22): „Allgemein anerkannt sind die Vorzüge Juvenals in Hinsicht der Treue seiner Sittengemälde und der seltenen Kraft seiner Darstellung. Seine Schönheiten sind das Schrecklichschöne, seine Grazien die φοβεραὶ χάριτες. Was er selbst von sich sagt: facit indignatio versum, giebt den Juvenalischen Charakter rein ausgesprochen“ et paulo post p. 24. „Ein Charakter wie Juvenal will sich nur kraftvoll zeigen, nicht schön; er will ein Herkules sein, kein Apollo, noch weniger die reizende Aphrodite, die Kraft selbst ist ihm die Schönheit.“ Sed haec hactenus! Perlustremus Juvenalis

dicendi genus magnopere discrepans ab Horatiano, quod venustate, gratia, simplicitate excellit.

Iuvenalis sive graviter praecipit virtutem et severi monitoris partes agit, sive ira et indignatione correptus et inflammatus ipsa aggreditur vitia. Quibus severi castigatoris officiis etiam respondet Iuvenalis ita, ut in dicendo pro rerum diversitate varium et hinc modo gravem, modo sublimem, aliquando remissiorem, at nunquam humilem adhibeat sermonem. Dum enim in Horatii satiris natura rerum, in quibus versabatur, hunc urbanum et facetum sermonem, quod ipse quasi ridens homines castigabat, non solum admittit, sed etiam haud immerito postulat, altius insurgenti Iuvenali vitiorum et scelerum immanitas id non permisit. „Cothurno erat ei, inquit Koenig (l. c. p. 88), ut in tragoediis incedendum, sermoque gravior ab epicis mutuandus, quo plerumque etiam apte, raro ambitiose et putide usus est. Quin ipsa loquendi ratio sublimis et verborum pompa in rebus abiectis et insigniter turpibus adhibita miram vim habet et efficacem ad animum lectoris vel ad odium invidiamque torquendum, vel ad eundem ipsa rerum vehementer inter se discrepantium copulatione risu concutiendum.“

Quod Iuvenalis a tenui stilo Horatiano et familiari plerumque abhorret, etiam versus Horatianis rotundiores sunt; qui non serpunt humi sicut comicorum et Horatii, sed exquisitius facti et quod ad numeros pertinet, magis canori ad Epicorum magnitudinem proxime accedunt. Audiamus initium satirae sextae, quod sane praedulce est ac mollissime in aures influit:

„Credo pudicitiam Saturno rege moratam“
„In terris visamque diu: cum frigida parvas“
„Praeberet spelunca domos ignemque Laremque.“
„Et pecus et dominos communi clauderet umbra:“
„Silvestrem montana torum cum sterneret uxor“
„Frondibus et culmo vicinarumque ferarum“
„Pellibus: haud similis tibi, Cynthia, nec tibi, cuius“
„Turbavit nitidos extinctus passer ocellos;“

„Sed potanda ferens infantibus ubera magnis,"
„Et saepe horridior glandem ructante marito."

Profecto meliorum artificem componendi versus vix inveniemus, quam sit Iuvenalis: adeo nihil scabrum, nihil hiulcum, nihil coactum praefert, sed omnia composita, omnia polita, omnia suavia.

Dixi de compositione versuum; quid dicendum est de dialogo, quem a prioribus satiricis usurpatum esse vidimus? Iuvenalis quoniam saepius docentis et declamantis partes sustinet, quam se ipsum cum adversario disceptantem et disputantem, aut alios inter se colloquentes inducit, oratione quoque recta plerumque utitur, ex persona sua loquens, et raro dialogum adhibet.

Ex his quae breviter explicata sunt, satis elucere arbitror, quatenus Iuvenalis satiram vere Romanam excoluerit.

Quamquam enim eadem fere libertate, qua Lucilius et Horatius vitia castigavit, tamen non eorundem virorum hilaritate et urbanitate usus est. Sed hoc ignoscendum est poetae nostro atque aetati illi magis culpae tribuendum. Nam summo veteris et iacentis virtutis amore et desiderio inflammatus, quod homines sui temporis ad fastigium quasi immanitatis et scelerum pervenerunt, non iam ridendo et iocando, sed in summam invidiam adducendo, quae vituperanda erant, mores corrigere et emendare potuit. Eum propterea colere ac summo studio legere homines studiis deditos oportet: erit operae pretium. Cui iudicio assentitur ut opinor I. v. Mueller, qui Iuvenalem poetam hoc modo summis extollit laudibus: (op. omn. VII. 272.) „Ehemals verstand ich ihn nicht; aber die großen Städte und die Lebenserfahrung haben ihn mir commentirt. Welcher Mann, wenn er sich erhebt! Zitternd von dem Feuer, so er in mir entflammte, schrieb ich mir die Anfangsworte gewisser großer Stellen, die lebenslänglich zu lesen sind, weil sie in den innersten Schatz der Menschheit, die Beute der Jahrhunderte gehören."

Quae de satirae Romanae natura et forma disputavimus, si quis comprehendat, habebit ut sperare licet, unde quod

summum est intelligat, quomodo satira Romana tale fastigium nacta sit, quale videmus, et quem locum obtineat inter omnes artes et litteras ingenuas, in annalibus denique totius rei publicae Romanae. Quamquam enim mihi profitendum est, hanc commentationem propter temporis cum cancellos, tum propter imbecillas vires, qui tironem me in grandissima hac et latissima materia pertractanda et absolvenda haud infitier, nequaquam exhaustam esse, gravissima tamen quaeque monuisse mihi videor. At iam manum de tabula!